



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Nicolaus Staurophorus. 2. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

350 VITÆ SANCTORUM. 2. Iunii.  
tandem agmine Arthemium cum uxore  
& filia ad supplicium euntes comitatus  
est. Ipsi denique in silva, cui Nigra cog-  
nomen fuit, inter senticeta, capite  
plexi sunt. Nihilominus vel invito ty-  
ranno, abscondi inter spinas lilia non  
potuere, & sanctitatis odor rubentes  
suo sanguine rosas prodidit. Lucilla &  
Firmina castis illas manibus legerunt, &  
in communi SS. Martyrum viridario col-  
locarunt. Silvæ quoque nomen immuta-  
tum est; pro Nigra, Candida posthac at-  
diit. Esto & tu lilium inter orbis spinas,  
& cæli candidatum te appellabo. *Ex Suv.*

*Parati simus semper irruentes vitiorum  
cuneos ac firementes bestias de agro cordis  
nostri ejicere, nullumque eis in ea, quæ ju-  
ris nostri sunt, permittamus locum perversæ  
dominationis habere: non videant nos  
inimici nostri cedere, ne de nostris va-  
leant recessibus exultare. S. Pet. Damian.  
ferm. 75.*

S. NICOLAUS STAUROPHORUS.

2. Iunii.

**A**Ltius in animum NICOLAUS ver-  
ba Christi demisit, quàm nos passim  
solemus. Vix enim illa audierat, quibus  
ad fortiter ferendam Crucem mortales  
extimulat, cum illicò melioris fortunæ,  
si quisquam alius, sibi ipse faber crucem  
ingentem paravit, & cum hac in annum

*Christi*



*Christi* M. LXXXVIII. in Italiam venit. Ibi excalceatus, & pannis obfusus pueros cogere; dux his ad templum esse; solemnia, quibus misericordiam Numini provocamus, verba præire; ante solis occasum nihil in victum admittere; sed & tunc non nisi pane cibario famem, & undâ sitim domare; à precibus interea nunquam desistere; Crucem, quam nos ultrò abjicimus, nunquam deponere. Visum est hoc genus vitæ loci Antifisti primò insolens: sed re meliùs inspectâ, laudavit viri studium, & ad mensam insuper suam perquam liberaliter invitavit. At *Nicolaus* febris correptus, ad signa sua prætextatum agmen convocavit, moriensque, inter faustas appellationes, Crucem illi suam testamento legavit, magnam tam parvulis, & opulentam oppidò, si æstimare norunt, hæreditatem. *Ex Pet. de Natalib.*

*Auctor pietatis in Cruce pendens testamentum condidit: Apostolis persecutionem, Judæis corpus, Patri Spiritum, Virgini Paranympum, Latroni Paradisum, peccatori infernum, Christianis Crucem commendavit. S. Ambros. serm. de Pass.*

SS. PER-